Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

rexit et archa domini fuit. Quod tamen in ipso materialiter fuisse si quis obstinate contradixerit, spiritaliter tamen completum ut credat ratum sit. Quid enim signat ei via qua vadit ut ecclesiam dedicet, nisi Christum in quo moraliter graditur, ut in mente sua deo sacrificium paret. Quid est arbor de qua ramum fregit, nisi quilibet legis doctor, de quo disciplinae formam sumpsit. Ex hac virga scriptum est: Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt. Vel aliter: Disciplina tua ipsa me docebit. Vel certe haec virga pastoralis est. Quae in medio sub typo disciplinae est rigida, subtus causa severitatis est ferrea, superius quasi floret, quia penitentes aggravabit cum misericordia. De qua parte scriptum est: In virga ferrea confringes eos. De medio virgae psalmista dicit: Disciplina tua correxit me in finem. Superior pars virgae typum tenet misericordiae. Tria quidem doctori conveniunt, ut scilicet impios districtius feriat, in bono stabiles non flecti moneat, compungentibus misericorditer consulat. Hanc virgam beatus Hartwicus habuit, et ipse virga equitatis fuit, ut de ipso dici possit ecclesiae per prophetam: Virgam virtutis tuae emittet dominus ex Syon. Quod enim non virtutis extitit, in quo omnium virtutum scola fuit. Quomodo enim non sit plenus omni virtute, quem ecce praevenit dominus in dulcedinis benedictionibus. Ipse autem ecclesiasticae virtutis est, cuius doctrina vel fide legalium mandatorum in ipso conectuntur laquearia. Ex Syon vero velut emittitur, dum speculatio fidei ecclesiae amministratur. Omnia autem opera sua quae fecit fuerunt signifera, quia virtutum quas deus in ipso fecit fuerunt significativa. Consummato igitur feliciter vitae suae cursu, exuta humanitatis tunica, indutus est inmortalitatis stola. Migravit autem sanctus Hartwicus ad dominum anno ab incarnatione domini M.XX.III. episcopatus autem sui XXXIIII. Heinrico imperatore II huius nominis regnante. Indictione XIIII. Regnante domino nostro Iesu Christo, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per omnia secula seculorum amen.

Item de miraculis eiusdem.

Mirificavit igitur dominus sanctum suum Hartwicum et beatificavit illum in gloria. Vere mirificavit quem adhuc in carne spiritualem fecit, et qui corporaliter fuit in terris, iam mente conversaretur in celis. Huic igitur cum suis consimilibus dicitur per apostolum: Vos estis genus electum, regale sacerdotium. Vas in quo electum, preelectum a deo, electum apostolo, quod certo comprobatur in sua electione miraculo. Predecessoris quidem sui transitum cum iam clerus ingemuit, et de pastore certantibus beatus Hartwicus supervenit. Initiat episcopatum nescius, a clero suscipitur, a deo preelectus. Mirum in modum a spiritu sancto ducitur ut agnus ad pascua, sed in ipso transsumitur arietis forma. Fit agnus ut obediat, aries ut premineat, agnus ad sacrificium, aries ut custodiat gregem suum. Fit signorum virtute mirabilis, claritate conspicuus, et in consortio stabilis. Fecit mirabilia in vita sua, et fecit illis, sed multo plus facit istis. Velut enim in nocte seculi luna fuit in vivis, sed ecce in celestis gloriae firmamento velut sol lucet mortuus. Ut bene conveniat illi quod scriptum est: Iusti fulgebunt sicut sol. Quid igitur mirabilius, caro in lunam et anima mutatur in solem. Recte igitur convenit illi illud sapientiae: In morte mirabilia opera ipsius. O quam gloriosus deus in sanctis suis, qui quos dilexit in mundo, post mortem plus dilectos esse signorum declarat beneficio. Opus tamen erat vel potius decet, ut quod ex incuria scribere neglexerunt antiqui, ut posteris declaretur beneficio dei. Nos igitur non meliores prioribus, sed cautius agentes sic scribamus posteris ut ad laudem dei excitentur operibus nostris. Siquidem tantum virum tantaque in eo facta magnalia nullus situs obliteret, nulla oblivio decoloret, hoc memoriae tradatur in scripto, quod fidelium comprobatur testimonio. Laudem dei lingua loquatur, ut calamus ut voci concordet ipsa manus, iam ad miracula convertatur stilus.

Ad laudem et ad gloriam nominis sui cum quadam die presbiter in capella sanctae dei genitricis devotus astaret, cereus in altari extinguitur, sed ut accendatur a quodam iuvene qui vocatur accurritur. Cereum festinus arripuit et ad tumbam beati Hartwici accensurus accedit, sed cum iam tumbae appropiat, iam cereum sancti virtus inflammat. Mirum in modum per se luminare succenditur, ut lucerna ecclesiae fuisse beatus Hartwicus approbetur. Flamma etenim rubedine parebat ut sanguis, sed nullo reor aliquo mystice fuisse significationis. Verumtamen presbiter in admiratione vertitur, et flammam huic similem numquam fuisse perhibetur. O mirabile exercitii virtute accenditur cereus, cuius beneficiorum claritate illustratur fidelium presbiteris. Fama igitur tantae rei universa per totam patriam transvolat, sanctumque dei in ipso virtus patrata magnificat. Accurrunt subito debiles, sed sanitati citius fiunt efficaces. Sani currunt et languidi, et in sancto glorificant nomen domini. Signis ad fidem provocantur increduli, spem concipiunt desperati, karitate solidantur qui fuerant odiosi.

Accedit interea puella quedam paralitica, quae dum sepulchro advolvitur, optatae sanitati restituitur letabunda.

Quidam etiam iuvenis transrhenanus genere, annos circiter XXV agens, cecus deducitur, sed sancti provolutus sepulchro visu perfruitur desiderato.

Item quedam puella decennis ad prefatum sanctum contracta defertur, sed illico ad plenum erigitur, ut eo miraculo sancti virtus comprobetur.

Similiter quoque mulier quedam iam diu contorquetur, omnium membrorum virtute privata, per alios adducitur, statimque sanitati restituta cum gaudio sola revertitur.

Puer itaque de Pinzgowe catenis infirmans ut mulier pari modo defertur ad sanctum, pariterque voce dei gratiam salutare